

Il supplizio di Tantalo

Filius Iovis Tantalus, qui Lydorum rex fuit et in Phrygia regnavit, omni studio ad civitatis suae salutatem incumberebat. Ideo non solum ut deus colebatur, sed etiam apud deos in magno honore erat et ad eorum epulas admittebatur. Sed superbia iniusta fecit: voluit enim Tantalus deorum prudentiam probare: ad epulas invitavit et Pelopem, filium suum, necavit et eum apposuit. Ceres sola inscia brachium edit, alii autem scelus animadverterunt et Pelopi vitam reddiderunt. Tantalo autem poenas impietatis dederunt: eum in Tartarum iecerunt nec ibi eum omnibus animi et corporis cruciatibus vexare desierunt. Stat enim adhuc in stagno cum aqua usque ad mentum, sed semper sitit: caput demittit sed bibere non potest, quod aqua recedit. Idemque fame vehementer cruciatur: suavissima poma, dulcia mala, bacae maturae ei super caput pendent; quae cum vult edere, rami vento moventur ac illi recedunt. Item saxum super caput eius ingens pendet et ideo Tantalus semper mortem timet.

Catalogo dei re persiani

Ex iis (= ex regibus) vero, qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt, ut nos iudicamus, Persarum Cyrus et Darius, Hystaspi filius, quorum uterque privatus virtute regnum est adeptus. Prior horum apud Massagetis in proelio cecidit, Darius senectute diem obiit supremum. Tres sunt praeterea eiusdem gentis: Xerxi maxime est illustre quod maximis post hominum memoriam exercitibus terra marique bellum intulit Graeciae. At Macrochir (= il Longimano) praecipuam habet laudem amplissimae pulcherrimaeque corporis formae, quam incredibili ornavit virtute belli: namque illo Perses nemo manu fuit fortior. Mnemon autem iustitiae fama floruit. Nam cum matris suae scelere amisisset uxorem, tantum indulsit dolori, ut eum pietas vinceret. Ex his duo eodem nomine morbo naturae debitum reddiderunt, tertius ab Artabano praefecto ferro interemptus est.